

14

LIBELLVS,
QVO
NOVOS HONORES THEOLOGICAE PROFESSIONIS
VIR O
S V M M E V E N E R A N D O
ATQVE EXCELLENTISSIMO
IO. AVGVSTO ERNESTIO
GRATVLATVR
EAMQVE PER OCCASIONEM
DE QVIBVS DAM
E LIBANIO REPETITIS ARGUMENTIS
A D
HISTORIAM ECCLESIASTICAM CHRISTIANAM
PERTINENTIBVS
IN PRIMIS
D E
OPTIMO EPISCOPO
DISSERIT
IO. IACOBVS REISKE.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



V I R O
SVMME VENERANDO, AMPLISSIMO,
CELEBERRIMO,
IOANNI AVGVSTO ERNESTIO,
S. THEOLOGIAE DOCTORI, HVIVS IPSIVSET
ELOQVENTIAE ITEM PROFESSORI. ALVMNORVM
ELECTORALIVM EPHORO,

S. P. D.
I O. I A C. R E I S K E.

Ex quo mihi Tecum coepit vſus esse, ERNESTI, Vir Summe Venerande, Amplissime atque Celeberrime, et, vt brevibus complectar, omni genere laudum ornatisſime, mirifica me coepit illarum virtutum, quae in Te numero plurimae maximaque exſplendescunt, admiratio. quarum in celebratione poſtem copiosus eſt, et velut exſultare, ſi aut mihi maior eſt dicendi facultas, et multitudini atque praeftantiae Tuarum laudum par; aut eiusmodi praedicationem aequo ferret animo Tua modeſtia in conſciencia reſete factorum acquiescens, et famae vanitatem non admodum deſiderans; aut famae denique Tuae, quaquauerum ſparſae et nullas poene gentes, cultiores quidem, non peruagatae, ſplendor alienae commendationis lu-
cem poſtularer. Saepe tamen optauit mihi euenire, vt daretur locus pu-
blico quodam teſtimonio declarandi, facile non eſt quemquam, qui bona,
quae in Te cumulatissima congeſſit et velut effudit bonarum omnium re-
rum auſtor optimus maximus, idemque diſpenſator ſapientiſſimus, maio-
ris, quam ego ſoleo, faciat. Rara ſolent illa eſt exempla, in quibus ex-
periri vim ſuam, et explicare quaſi atque iactare suas copias naturae boni-
tas voluſte videatur. In quibus Te quoque, ERNESTI CELEBERRI-
ME, recte numeramus, qui ingenii Tui diuinitatem, animi magnitudinem,
caeterasque Tuas ſummas laudes perſpectas habemus. Quid enim illa di-



cam, Ciceroni secundum Stoicos dicta, naturae prima in Te veluti studio collata? quid bonam valetudinem, in illa, quae rebus agendis maxime spectatur, aetate florentem? quid opes non contemnendas, honeste quae-sitas, quibus cum congratulatione bonorum omnium frueris? quid gratiam, qua flores, summorum virorum, comitate et suauitate familiarium sermonum et morum gravitatem contractam? quid honores, qui domi libera-liter in Te conferuntur, foris, id quod haud parum ad commendationem Tui valet, vltro offeruntur? quid reverentiam, in qua Tibi exhibenda nullus non hominum ordo certat? quid amorem, quo Tui in Te discipuli feruntur? quid excellentiam illam tot tantorumque ingeniorum, quae ad omnis laudis comparationem instructa et exornata e ludo Tuo prodierunt? quid voluntatem illam Tuam, vel ardorem potius dixerim, egenos adiuuandi, atque subleuandi iacentes, qui ardor, si res desit, ut animum dolore afficiat, necesse est. In Te voluntati, quae est maxima et amplissima, res et facultas responder, vitaeque Tuae fructum percipis dulcissimum in recordatione beneficiorum a Te in alios collatorum. Sed incidit in locum oratio mea, vnde facile exitum non inueniat. quare se eo recipit, vnde egredia est; et hoc Tibi affirmat, **ERNESTI, VIR EXCELEN-TISSIME**, quae adhuc fuisse priuata mea Tuorum decorum cogitatio et ad amicos praedicatio, eam noluisse diutius pati, se intra meae familiae riumque conscientiae penetralia contineri, sed erupisse, locumque sui profundi quaeſiuisse, eumque oblatum avide occupasse, quum tempus incidenceret plenum gloriae Tuae, cauſamque gratulationis afferens.

Ex quo vnum cum scriptis Tuis contraxi, dubitare coepi, grauitatem delectumque argumentorum, an litterarum varietatem et copias, an dictionis elegantiam, et simplicitatem atque perspicuitatem, magis admirarer. Quod Tu genus litterarum intactum reliquisti? quod non ita illustrasti, vt omnes in eo superares? quod est illud, a quo repertum est ingenium Tuum alienum? Aureum illum libellum, in quo totius philosophiae regnum inclusisti, idque latino terzissimo sermone exsecutus es, cuius vel Tullium ipsum non pudeat, quis non suspiciat, non lequit, non in sinu ferat, qui quidem bona Latinitatis non omnino caret intelligentia atque iudicio? Magni facio Tua omnia, **ERNESTI**, cupideque lego, et eorum lectione me vehementer delectari vere affirmo; quod Tu facile mihi credes, qui me noris eum esse, qui non soleat auribus quidquam dare: sapientiam enim incredibilem, et florem illum vetustatis, in nostris, quae nunc existunt, ingenii poene nullum, video in illis enitentem. Sed aegre nolim feras, quotquot adhuc consideris et publice dedicaris ingenii Tui monumenta, eorum omnium principatum Initii Tuis doctrinae solidioris a meo iudicio deferri, cum quo ei huius aetatis

aetatis et futurorum quoque confido consensurum. In solido iecisti funda-
 mента, quod ipse Tui libri titulus est ominatus. Arx haec est, crede
 mihi, Tuas gloriae, literarum latinarum, et omnino omnium humaniorum,
 quarum princeps est philosophia, immortalitatem exaequatura.
 Quam arcem quoties intuebitur, aut ingredierur postera aetas, intelligens quidem illa elegantiae atque sapientiae, mirabitur, hac quidem aetate,
 de cuius odio et ignorantie bonarum literarum acerbe multi, sed vide-
 rint ipsi quam prudenter, et quam grauibus de causis, queruntur, ea
 igitur fuisse, qui res in se perceptu enarratique ita difficiles, ut cultum
 orationis capere non videantur, ea lingua, cuius hodie coepit usus
 obsolescere, et inuidia onerari, et barbarie sordibus contaminari, tam
 pure atque perspicue et emendante exponeret, ut possit eius liber non mi-
 nore cum fructu, quam vel probatissimorum veterum Latinitatis aucto-
 rum quisquam, iuuentuti ad versandum et meditandum atque imitandum
 proponi. Me quidem nil puduit G E S N E R I, viri incomparabilis, quem
 Tu recte summi facis, iudicium sequi, et tironibus, meae fidei atque
 disciplinae, commissis Initia Tua in manus dare; speroque futurum, ut
 ludimagistrorum, et qui nunc sunt, et qui post erunt, optimus quisque
 atque partium suarum intelligentissimus ab hoc exemplo sibi non putet
 deliscendum esse. Ego vero quoties subtilitatem docendi cum perspi-
 cuitate coniunctam, quae in Tuis Initii est admirabilis, et rerum ordi-
 nem nexumque aptum et apprimecum ad intelligentiam, tum ad memo-
 riā, accommodatum, mecum cogito, argumentorum item grauitatem
 et delectum, et plenitudinem, ut nil desit, quo opus sit, nil redundet;
 tum recordor, sermones, quibus concionem venerandi dei causā con-
 gressam e loco publico pro muneri Tui partibus per stata temporum in-
 terualla ad honeste agendam vitam adhortari soles, iisdem virtutibus ex-
 cellere. Ducuntur alii, et ducantur, per me licet, aliis. Me vero
 non valde capit theatra et ad ostentationem composita declamatio, ver-
 borum diues, rerum et sententiarum inanis; offendit etiam aliorum nu-
 gax et garrula, ieuna eadem et inficeta, et insomnia media luce iactans,
 facrorum oraculorum interpretatio, si ea est interpretatio, non multum absi-
 milis illi, qua patrum memoria solebat Harduinus bonos auctores lace-
 rare, cuius exemplum, qui requirat, videre potest in Gefneri ad Horatiū Carm. XX. L. II. praefatione. Quos homines quum audis verba pu-
 blice facientes, neficias quo ferantur, quo te secum rapiant; ita vagan-
 tur incertis gressibus, ita sibi parum constant, ita ruunt temere, loci
 personaeque suae immemores, ut per portas illas Homericas eburneas
 in regna nescio quae umbrarum videantur auditores traducere velle. Sim-
 plex et sedata perspicuaque et consentanea sibi, articulisque omnibus

A 3

bene



bene nexa, plena rerum, sed grauia et scitu dignarum et ad omnem
 viriae vsum accommodatarum, docta eadem, et docto cum oratore, tum
 corona digna, qualis Tua est, ERNESTI, mirifice me coepit oratio.
 Te quidem cum audio pro concione dicentem, non potest mihi accidere,
 neque accedit vñquam, quod memini, quum accideret mihi, quum alios
 audirem, vt aut dormitarem, aut ingemicerem tacite, stomacharerue
 ieunitati; sed videor in Te philosophum Christianum audire deo re-
 busque diuinis sapienter, erudite, iis denique modis, quae et deum et
 Te coetumque deceant, differentem. Mitto alia, quorum finem non
 essem inuenturus, cum publica Tua, tum priuata decora; mitto, qui-
 bus me cumulasti, beneficia, his praesertim proximis annis, quibus com-
 munia patriae mala priuatim me Tibi veterem amicum commendarunt.
 Nam quum in ea incidiſſet tempora nostra haec aetas, vt, qui antea con-
 sueuerint mei curam habere, illi, ipsi publica perculsi clade, nequirent
 mihi prospicere: Tu quasi tutela ab ipsis fuissecepta me liberaliter fouisti,
 labantemque et concidentem fortunam meam vñus sustinuisti, donec di-
 vinæ bonitati tandem placuit anno superiore spes meas, misere illas ia-
 catas et poene ad desperationem adductas, per incredibilem Amplissimi
 Ordinis Lipsiensis munificentiam, in portum subducere. Sed, priuata
 quoniam haec sunt, eaque tanta, vt tota mea reliqua vita sub beneficio-
 rum Tuorum mole laboraturus, neque vñquam parem, quam Tibi refe-
 ram, sim gratiam inuenturus, festinat oratio mea ad muneris, quod
 nunc capessis, exordium, non tam Tibi, quamquam Tibi quoque, quam
 huic litterarum vniuersarum coetui, et toti nomini Christiano gratulan-
 dum: ad quod nomen fieri nequit, quin ex hac Tua sacrarum literarum
 professione fructus redeant quam vberrimi. Instrutus enim Tu accedis
 ad sacras doctrinas tradendas, iis artibus, quarum ignoratio, hodie ni-
 mis quam perugata ordinem sacris studiis deditum, efficit, vt res Chris-
 tiana multum splendoris auctoritatisque amiserit. Id quod mirum non ac-
 cedit diligentius intuenti. Quis enim doctorem non rideat, non fugiat,
 ignota et obscura ipsi interpretantem: vetustas linguas, a quarum vñ at-
 que indolis cognitione quam plurimum absit et tota vita abfuerit, veluti
 fidiculis contorquentem et ad hodiernas accommodantem; antiquos ritus
 e nouis repetentem atque iudicantem; in rebus omni memoria gestis aut
 plane hospitem, aut parum versatum; vñica illa sua fretum, tam inuidiose
 iactata, nescio qua, ieuna quidem illa et obscura, omnibusque vepretis
 horridiore, philosophia, si dis placet, eaque sperantem nodos omnes se-
 *v. Lucia resoluturum et velut illa Micyllei *) galli mirifica pluma, Deorum mu-
 ni T. II. p. nere, seras omnes reseraturum. Illustarunt, non inficiabor, hoc saeculo
 745. ed. Lipsiense Museum theologi, etiam ab elegantiorum litterarum et historiae
 nouiss.

ecclesiasticae vnu clari. Oleario quis utriusque linguae peritiam defuisse
 aiat, quae si in eo non fuit tanta, graecae praesertim, vt Bentleio et Hem-
 sterhusio satis faceret, fuit tamen rara, ea quidem aetate, in Germania,
 neque memini nostratum qui tum fuisset eo nomine cum Oleario, praे-
 ter vnum Fabricium, conferendus. Fuit, qui splendidis promissionibus
 magnam de se spem moueret: per eum tamen effectum non est, vt ea-
 uis-
 sam haberent nullam suspicandi, si qui essent, qui suspicarentur, verba illi
 fuisse, aut, si multum, voluntatem, defuisse rem, aut certe studium.
 Alius in patribus, quos appellant, graecis habitabat. Ecclesiae ille tempora
 dicitur a quibuldam perspectiora et familiariora habuisse, quam domum
 suam. At illi deerat graecae latineque antiquitatis elegantia, et philosophiae
 cultus. quea in Te, ERNESTI, sunt summa et perfecta. Tu no-
 bis interpretem idoneum, eoque nomine dignum, dabis sacrarum litera-
 rum, illarum inprimis, quibus exordia Christianae rej, et sanctissimae hu-
 ius discipline leges continentur. Diuturnitate enim exercitationis at-
 que severitate profecisti eo, vt siue ad patescendi diuinæ veritatis re-
 cessus, siue ad refutandos et debellandos eius aduersarios, instrumentum
 Tibi nullum desit. In Iosepho habitas, qui fons est Iudaicarum antiqui-
 tatum. In ea, quam appellant, N. T. Critica summus es; cuius vocabuli
 qui vim tenet, intelligiturque, qua ea constet ars legendi assiduitate, qua
 indagandi sedulitate, qua memoriae fidelitate, qua iudicii diligentia, quo
 artium grauissimarum et latissime patentium concentu, nae illae prae ea
 triuiale illam, omni literarum mundo atque colore desitutam, defor-
 mem, stipulis leuorem, et intra paucos menses, contentione mentis poene
 nulla percipiendam, sacri codicis interpretationem, vnius imaginationis
 immodestia et garrulitas inanitate atque impudentia nixam, flocci non
 faciat. Autores in numerato habes illius linguae, qua codex nouae le-
 gis est exaratus: habes ergo clauem huius arcis. In tractandis publican-
 disque diu multumque versatus es auctoribus illis, qui latinis literis res
 consignarunt eius saeculi, quod nascentem Christi disciplinam vidit. Chri-
 stiani coetus quea fuerunt omni memoria tempora, cognita et perspecta
 habes. ad quae cognoscenda fatis non est, inspexit doctores ecclesiae
 graecae arque latinae, sed oportet philosophum ipsum esse, et philosophiae
 tempora, seu, quam appellant historiam philosophicam, nosle, et omnem
 rerum memoriam annalibus traditam animo complexum esse. Tu autem
 philosophus es, quod praeter Initia, loquuntur etiam reliqui minutiores
 libelli, per occasionem scholastici et academicu muneris a Te adhuc editi,
 in quibus ex tempore quoque sumebas Tibi tractandam materiam, e
 philosophia, et morum in primis doctrina, repetitam. Philosophiae quo-
 que historiam bene calles, absque qua philosophus esse vix quisquam
 possit.



posit. Ego vero non sum ineptus, qui ea Tibi occentem, quae Tu in minimis Tuis laudibus ponas, et quae nemini lateant? Gaudet igitur Academia nostra Te suis Theologis adscripto. quem si Theologorum Germanorum elegantiore literatura excultorum hac aetate principem appelle, non magnopere vereor, ne sit, qui controuersiam ex eo mihi moveat. Tu vero, ERNESTI, qua laude, quaque felicitate ludum Thomannum rexisti, ordinemque philosophicum ornasti, eadem, et, si fieri potest, vel maiore theologicum orna quam diutissime. Meo quidem animo ornamenta Tua nosti quam iucundissima accidere; quae si possunt incrementum capere, vt capiant ex animo opto. Nunc autem patere, vt de Optimo Episcopo quae annotata in aduersariis habeam, ea ad Te perscribam. Sed vt patiaris, causae Tibi persuadebunt, quas edam non paucas, neque contemnendas. Nam cum hoc tempore libellum ad Te mirtere decrevissem, animi erga Te mei congratulationisque testem, quod ei argumentum aliud deligerem huic temporis conuenientius, non occurrebat. Primum spectabam confessionem, quae illi arguento cum Tuis studiis est summa. Versatur enim in parte quadam historiae ecclesiasticae e Libanio, auctore eorum vno, quos profanos appellari vulgari more obtinet, illustranda. Agit igitur hoc, vt vincat, quod Tu saepe soles p[ro]tegere, tuisque discipulis diligenter tradere, sacras literas adiumento et lumine profanarum carere non posse. Deinde sequebar bonum omen. Vide mihi denique mirificam Tui cum Optimo Episcopo similitudinem. Libanius ea epistola ad illum scripta, quam hoc loco tractandam mihi sumsi, Optimo, recens creato in patria episcopo, nouos honores gratulatur, et ea de ipso praedicat, quae in Te summa agnoscimus. Dispar quidem est Tua meaque conditio cum Libanii Optimique eatenus, qua ille huic, magister discipulo congratulatur, ego, quod in reliquis meis aduersis rebus numero, ab ore Tuo non pependi. Verum tamen, quo sum erga Te studio maximo, et qua Te prosequor veneratione, quae tanta est, vt dubitem sitne in discipulis Tuis, quos multos et Tui habes amantissimos, qui Te maiore prosequatur: libenter patiar, si Tu quidem non recufes, discipulorum Tuorum numero me adscribi. Gratulatur ille suo discipulo episcopatum; ego Tibi, magistro, si pateris, theologiae professionem; munus, si dignitatem spe[ci]es, episcopatu[n]o nihilo inferius; et vel praestantius quoque. nam si praeclarum est ciues doctrinae salutaris preceptis imbuere, quanto erit praeclarus ad docendi munus bene obendum atque fungendum sua institutione tirones conformare. Praedicat porro Libanius in Optimo suo ingenium come atque mite, quod in Te, ERNESTI, est mitissimum atque humanissimum. Praedicat eloquentiae et studium et professionem publicam: quae vtraque in Te quoque conueniunt.

niunt. Nam de eloquentia Tua testantur cum ingenii Tui monumenta,
 typis vulgata, tum sermones, quos in templo Academicō pro concione
 recitare soles; in quibus eloquentiam facile noscitant aequi et verae elo-
 quentiae idonei iudices, qui eam non volubilitate linguae, non laterum et
 vocis contentionē, non gesticulatione histrionica, non sonis ad aures aut
 percellendas, aut mulcendas compositis, caetera inanibus, non iteratione
 sententiarum aliis verbis earundem, aestimant, sed delectū, grauitate, veri-
 tate, concēntu, ordine apto et iucundo rerum et verborum, ut magis ipsa
 rei evidētia persuadeat, quam declamationis importunitas obtundat. Ac-
 cipimus a Libanio, eloquentiae professorem eadem in vrbe Optimum
 egisse, priusquam ad thronum episcopalem ascenderet; quod ea aetate
 saepe factum in aliis quoque testatur historia ecclesiastica. Tu autem,
 ERNESTI, in qua schola docenda rhetorica stipendia adhuc meruisti, in
 eadem imposterum docebis sacras literas, sed ita illas, ut rhetorices quo-
 que professionem cum harum sis coniuncturus, et in vitroque genere ita
 versaturus, ut nuper in altero versatus es. Es autem egregie et praeclare.
 Rara haec est felicitas, et nescio an Tibi propria. Videntur mihi quidem
 annales huius Academiae non habere exemplum Tuo simile doctoris, cui
 mandatum esset, ut Ciceronis arque Quintiliani expositionem idem cum
 sacri codicis, et, qui sunt reliqui nostrae fidei auctores principes, copula-
 ret. Commendat in Optimo Libanius summum studium graecorum au-
 torum optimum quemque scribendo dicendoque imitandi, et vitia sermo-
 nis atque fortes omnes diligenter vitandi. Quae laus in Latinis, ERNE-
 STI, ita Tua propria est, ut de ea poene nemo sit hodie qui Tecum con-
 tendat. Memini saepe me ad amicos professum, cum omnia Tua magni
 faciam, tum summi a me fieri mirificam et imimitabilem Latinae Tuae scri-
 ptionis elegantiam, et, ut non careret hacc aetas viris doctis de literis grae-
 cis et latinis optime meritis, verumtamen repetenti mihi memoria atque
 exsequenti quotquot hodie supereressent hoc genere excellentes homines,
 non occursero, qui Tibi, ERNESTI, atque Facciolato, Italo, esset com-
 parandus. Vos enim duo in primis mihi videmini hac aetate laudem hanc
 scribendo consecuti, ut Tullianam latinitatem, hoc est omnium confessio-
 ne optimam et poene unicam, felici referatis imitatione. Hortatur Libanius Optrimum, quas doctrinarum copias, quas eloquentiae opes colle-
 gisset cum in magistri ludo, tum in suo (tradiderat enim Optimus, quod
 modo dictum est, dicendi artes) eas igitur ut nunc in Episcopatu profer-
 ret atque explicaret. Hoc enim tempus et hunc locum eius dicendi fa-
 cultatem quam maxime deposcere. Te autem, ERNESTI, simili modo
 hortari si vellem, mei me puderet, qui ad bene agendum laudemque me-
 rendam auctorem, praeter Te tuumque exemplum, desideres neminem: a
 quo exemplo non descisces post tot a Te edita cum e sacro loco, tum

B

alias



alias, eloquentiae sacrae atque ciuilis specimina: quum eo sis in rebus praeclaris elaborandi ardore, ea assiduitate, laborumque tolerantia, vt paucis ante diebus publice prae te ferres, negotium, quod cum vtilitate publica esset coniunctum, Tibi esse exoptatius otio, quod ea careret, vel omnibus affluente rebus illis, quae magni vulgo fieri vehementerque appeti solerent.

Recitauit adhuc argumentum epistolae Libaniana, vnde intellexi, cum Optimo Te in multarum earundem laudum contentionem aut si maius communionem venire. Iam ipsa iuuat Libanii verba proferre, atque interpretari. Quae ab eo epistola ad Optimum missa est, illa in Wolfii collectione epistolarum Libanii locum tenet ex ordine numeri 1227. et his verbis est exarata. Ο ΠΤΙΜΩ ΕΠΙΣΚΟΠΩ ΓΕΝΟΜΕΝΩ.
 Έστι τὰ δεύτερα βελτίω. Τί γάρ ἔδει σοι μάχεσθαι καὶ λυπεῖν ἀνδρατὸν ἐδεπάποτε λυπήσαντα. Σὺ γάρ δὴ ἐκεῖνος Ὁπτιμος ὁ παρότατος, ἐν
 vel λόγης ἥδεων ἑώρων ἐν τε δέλτῳ λόγον) καὶ ἄνετονται, πομίζονται. σὺ δὲ εὐει-
 male
 exhibit
 ed. Wolfii
 λόγου.
 νος ὁ καθαράν Φυλάξοις τὴν τῶν ἐλάχινων Φωνὴν, ὃ λόγος οἷος δέξεται, ἐν
 τοῖς καὶ αὐτὸς ἐδεινυμένοις. ἡκεῖται δὲ καὶ τὰ ἐπὶ τέτοιοις, ὡς εἴληκε μὲν ἡ
 πόλις ἐπ' ἐκεῖνον σε τὸν Θρόνον, σὺ δὲ Φεύγων ἐκέσχες διαφυγεῖς ἐπειδὴ Βοσσᾶ,
 ἔτε δάινουσιν. ἡδόμην ἐν ἔχοντος σὸν καὶ νῦν ἐφ' ὃ χρησήσῃ τοῖς λόγοις ἑκα-
 πλει τοῖνυν πρὸς ἔπαινον τὸν ὄχλον, καὶ ὃ ἔγινε κανταῦθα Φαινέσθω. εἰ
 δέ σοι ἡδὺ το ήδω με ποιεῖν, ἐπίτελλε, καὶ ἢ τις ὅμοιος νεανίσκος Ῥωμαϊῶν,
 πέμψε. περὶ γάρ δὴ τὰς τοιότητας ἐν ἀντηπίλησις ἀναλωθείν πόνος. ΟΡΤΙ-
 ΜΟ ΕΠΙΣCOPO CREATO. „Posteriora Tua, Optime, prioribus sunt
 meliora. Quid enim oportebat te aegre facere viro, qui tibi nunquam
 molestiam creasset. Id quod mores tui effecerunt. Es enim tu ille hu-
 manissimus Optimus, quem libenter spectare et cum gratulatione solebam
 excipere, quoties orationem ad me asserret, seu de scripto et commentariis
 recitandam, seu ex memoria depromendam. Etiam tu ille es, Optime,
 qui purum conseruaris graecum sermonem, et domi tuae (seu in patria tua)
 orationes publice habueris, in quibus tecum me quoque ornasti et in il-
 lustriori loco spectandum proposuisti, (quum facile esset, in eloquentia tua
 meae disciplinae colorem noscitere.) Accepi quoque postremas tuas lau-
 des; ad illum thronum quum a ciuitate tua raperere, te detrectasse atque
 refugisse, sed nil egisse, neque potuisse effugere, neque obtestationibus,
 neque lacrymis tuis. Laetor itaque, vt nunc tandem naucto te locum, in
 quo etiam ibi (inter tuos municipales) vti literis tuis easque proferre
 possis. Quare plebem tuam ad tui laudes canendas incita. Apparet in
 hoc quoque gradu rhetor. Si te iuuat mihi gaudia creare, saepius ad me
 da literas, et iuuenies ad ludum meum missa, si qui sint apud vos Romano
 (nuper a te misso) similes. Nam in eiusmodi ingenii formandis non per-
 datur opera.”

Non

Non obscurum est Optimi episcopi nomen in historiae ecclesiasticae monumentis. Socrates et Sozomenus, et qui ex illis hauserunt graeci posteriores eius mentionem faciunt; codex item Theodosianus. Vnde constat eum in concilio illo celebri, quod A. C. 381. primum Constantiopolis est habitum, ab episcopatu Agdamiae, quod oppidum est Phrygiae, translatum esse ad episcopatum Antiochiae, non illius magnae ad Orontem, a quo errore sibi cauisse non videtur Wolfius, sed Pisidiceae. Eum autem Libanii discipulum fuisse, atque in patria eloquentiam docuisse, priusquam ad episcopatum admoueretur, nunc tandem ex hac Libanii epistola est intellectum. Cuius epistolae constituere aetatem non adeo erit arduum. quamquam enim annus, quo est exarata, designari et velut clausi nequit, constat tamen eam haud ita multum ante A. 381. scriptam esse. Fuit igitur Optimus Agdamiensis, et Libanius ei Agdamensem episcopatum gratulatur hac epistola, cuius initium quia paulo est, ut pleraque Libanii, ob concisi sermonis affectionem, obscurum, breuibus sententiam declarabo. Significat igitur se laudare Optimi consilium posterius, ut priore sapientius. Quae consilia cuiusmodi fuerint, quum sit in se dubium, videntur tamen in sequentia satis declarare, ea pertinuisse ad vitae studiorumque genus amplectendum; et Optimum initio quidem agitasse animo, ut literarum, quas magistro Libanio apud Antiochiam Syrie didicisset, domum redux factus abiiceret exercitationem, et cum aliis studiis commutaret: deinde autem animum mutasse, et coepisse easdem suis ciuibus tradere. Cuius rei fama ad Libanum perlata, mirifice ait se delestatum. Hoc est illud quod ait: quid etiam, amabo, causae tibi esset, cur homini qui te nunquam offendisset, aegre faceres. Se ipsum designat. Cur tu mihi, ait, quem antea nunquam in te concitasles, quum in ludo meo adhuc haereret, nunc tui iuris factus, tantum dolorem creares, ut literas a me tibi traditas negligeres. Nunquam ad hunc diem mihi fuit de te querendi causa, nam strenuus et diligens eras in exercitiis oratorii, quae tibi iniungerem, peragendis. Quare laudo te, quod nunc quoque causam tibi succenfendi mihi nullam esse volueris. Quid tandem factum Optimo, quo mortis genere, ubi locorum, quo anno, deceperit, in silentio scriptorum, necesse est ut in obscuro relinquamus. Praeter veteres de eo memorarunt, seu veterum de eo locos attulerunt Godofredus in Prosopographia Codicis Theodosiani, Valesius ad Socratis H. E. VII. 36. et Wolf ad Libanii locum, in quo versati sumus exponendo.

Possim hic scriptio huic finem facere. nam de Optimo satis dixi, tantum certe, quantum noui; sed non patitur meus cum erga Libanum, tum erga historiam ecclesiasticam amor, ut hunc locum sic missum faciam. Age itaque plura pergam e Libanio argumenta repetere, nunc quidem

memoriae succurrentia, e quibus intelligi possit, atque doceri, graecae, profanae dictae, literaturae studium insigni cum fructu cum ecclesiasticae historiae studio coniungi. Qua in re animis auditorum tuorum penitus insignida scio quam tu soleas, ERNESTI, diligenter elaborare. Adiungam igitur Optimo episcopo duos alios, Georgium Alexandrinum et Marcum Arethusanum; de quibus ea narrat Libanius in epistolis, quae non nihil lucis historiae sacrae videntur allatura.

Celebre est in Athanasi et Alexandrinae ecclesiae historia nomen Georgii, qui in locum Athanasi expulsi sufficitus Anno 356. est, et anno 362. a furentibus Alexandrinis discriptus; vt ex epistolis Iuliani Aug. constat. v. Socratis et Theodoreti H. E. II. 14. et Philostorgii VII. qui non improbabilem eius assert causam necis, affirmans eam pestem ipsi a calumniis et machinationibus Athanasii conflamat esse. Huius Georgii gratia epistolam Libanius ad Modestum, Comitem Orientis, scripsit, eam quae in Wolfii volumine est numero 205. per huiusmodi causam. Athanasius exsul, quem difficile est inquieti ingenii absoluere, per suos sic dictos orthodoxos, seditionem, quo morbo poene nunquam vacabat Alexandria. Modestus igitur anno 359. a Constantio Aug. in Aegyptum missus, multam Alexandrinis ingentem irrogabat. quam illa Libanii epistola eodem anno, aut certe proximo scripta, repraesentandam quidem ait ab Alexandrinis, affirmatque Modesto, nihil esse quare ea de re dubitet: rogat tamen eadem Modestum, vt illa aeris multitudinii repraesentatione contentus esse velit, neque festinet illuc, vnde nunquam esset redditum, hoc est in fiscum principis, inferre, sed remittat potius Alexandrinis, satis habens, eos imperatum aes coegerisse atque exhibuisse, et furoris sui poenitentiam demonstrasse. Verba haec sunt: Συνήσθη Γεωργίῳ συναχθόμενῷ τοῖς ἡτοχημόσιν Ἀλεξανδρέων. συνήσθην δὲ καὶ σοι δεξαιμένω λόγις ὑπὲρ τῶν πρόστερον πο-

*) hic habemus τὸ εἰπεῖνος. *) λοιπὸν σωτῆρ τε κακείνων καὶ τοῖς ἀλγυπτίων
betetur in χαριστήριοι διάμοσιν. οἵτινει μὲν γάρ αὐτῆς τὸ χρυσίον, τὸ δὲ αὐθιδικόν αὐτὸ^{τού}
editione γενέσθαι τῶν δεδωκτῶν, αἷλα μὴ μεῖναι τὴν ἔρμιαν, ἐν σοὶ τε καὶ τῇ σῇ
Wolfsi suη περιβλούμην καὶ τῇ σῇ χειρὶ. ἢ γάρ μὴ βαλεθῆται επειχθῆναι. μηδὲ εἴκεστε πέμπειν
τῶνδε quod φησι, ὅθεν εἰ δὲ εἴσοι, λέπτεται τις ἐλπὶς ἀμείνων. ἦργε δὲ ὅπως ἀγανάκτη λαμ-
πα supinis πρᾶσι διὰ τέλεσ, καὶ δεῖξῃς συνηθέον τῷ προσομίῳ τὸ πέρετον. „Et tui causa,
operis ty- Modeste, et Georgii, factor; huius quidem, quod ita eum moyerit Ale-
pographi- xandrinarum calamitas, vt eam ad suum quoque dolorem retulerit; tui au-
e superio- tém, quod Georgium pro Alexandrinis intercedentem tuleris, eum homi-
ré versu nem, qui tamen antea cum ipsis dissentire consueisset. Reliquum, quod
iteratum addas, nihil est aliud praeter hoc vnum, quo uno faciendo rem et tibi, et
esse. ipse Georgio, et mihi, et diis denique Aegyptum tenentibus atque tenuen-
bus,

bus, gratam facies. Quamnam igitur? Hanc videlicet. Representabitur tibi quamprimum illud aes mulctaticium. Quod ut ad eos redeat, a quibus proficetur, et ut ne maneat semper id, quod nunc est, multa, id in te, hoc est in mente manuque tua situm est. Nam si precipitare negotium hoc, et mulctam illam confessim inferre, vnde redditum non sit, nolueris, supererit nobis aliqua bona spes. Fac itaque, Modeste, quod praecclare ingressus es certamen, non minus praecclare fini, et declara primis extrema penes te consentire. „

Esset mihi hoc loco grauis caussa in editorem huius epistolae primum invehendi; id quod facile videbit, si quem haud pigrat meam hanc interpretationem cum vetere conferre. Apparet enim, editorem neque causam totam epistolae huius, neque rationes illius Georgii perspectas habuisse. Sed condonemus hoc humanitati, magnisque reliquis Wolfii meritis, et suscepti operis magnitudini; sunt mihi quoque priuatae causae, quare memoriae viri optime de me meriti parendum ducam. Docet tamen vel hoc, vnum exemplum in editione eiusmodi operis, quale est Libanii volumen epistolarum, fessitudinem non esse, quod tot septum sit difficultatibus, quot paene nequeas enumerare. Parum est grecce scire, quamquam hoc quantum sit omnium optime intelligis, ERNESTI DOCTISSIME: nam praeter sermonis breuitatem quam Libanius affectat, ut saepius per aenigmata, quam verbis, quid velit, significet, intexit dicta Homeri, aut veteris cuiusdam alius poetae vel historiarum scriptoris, aut philosophi oratorisue; aut alludit ad veteres historias, in quo maxime sibi placebant sophistae: quae qui ignorat, non potest fieri, ut mentem auctoris ille perspiciat. Sed obruit hanc difficultatem altera illa, quae continetur ignoracione hominum, quibuscum agit Libanius per epistolam, et temporum, quae attingit. quae sunt saepe tam minuta, tam abstrusa, ut tametsi quis saeculi a C. N. quarti angulos omnes perreparat, vestigium tamen eorum nullum reperiatur. Homini in historia ecclesiastica non mediocriter versato, ubi accedit, ut notas hic non agnosceret, satis tamen illas extantes, hominis non incelebris in rebus Athanasii et Arianorum: quidei non erit extimescendum, qui alienus a sacris literis hanc spartam capessat. Nexa sunt sacra profanis, ut neutra carere possint alteris, neutra sola integra esse, neque sufficere homini solidam literarum gloriam appetenti.

Insignis est locus ep. 730. ad illius celebris Marci Arethusan casum pertinens; vnde patet neque Libanium animo in Christianos tam infesto fuisse, ut omnes huius disciplinae odisset atque fugisset; neque Julianum Aug. ea Christianos diritate et acerbitate odii exagitassem, cuius iniuria scriptores nostri eum adspurgunt. Quanta puras saevitie Christianos fuisset exsecuturos in ethnicis, si quis eorum in templum aliquod numini Christi consecratum, fuisset idem ausus, quod Marcus est in fanum nescio cuius diuinitatis. Causam Marci narrat Sozomenus V. 10. et Theodoreetus III. 7. aliique auctores, quos Wolf in annotatione ad epistolam Libanii 730. laudat. Ea haec erat, ut paucis com-

plectar. Marcus, Arethusa in Syria episcopus, principe Constantio, in urbe sua templum nescio cuius fictitii numinis euerterat. Cuius rei ad poenas dannas Iuliano principe vocatus, et mirificis cruciatibus subiectus fuit ab Arethusa-
nis: dedit tamen Julianus ei spiritus veniam. quod Libanius mirum in modum extollit, et Villium, Arabiae praesidem, hortatur, vt idem in Orione sequeretur exemplum. Erat Orion homo Christianus, et, recte si colligo ex epistola 673. et 730. Villii in praefectura Arabiae decessor, ad supplicium sub Iuliano prin-
cipe postulatus, quod Constantio regnante fana deorum esset depeculatus. Vil-
lius pariter, atque Libanius, cultui deorum erat deditus. non dubitat tamen Libanius apud illum pro Christiano, eoque sacrilegio, deprecari. Vide magnitudinem animi; et ipsi verba accipe. 'Εγένετο μοι Φίλος Ὀρέων, ὅτε εὗτάκηει, νῦν δὲ πρόστατει μέν εἴκανος καιών, τηρῶ δ' ἐγὼ τὴν γνώμην. αἰσχύ-
νουσι γάρ εἰ καὶ αὐτὸς ὑπὸ τῆς παροιμίας γενήσομαι, καὶ δόξω Φεύγειν ἡτοκη-
κότα Φίλον. ταῦτα δὲ τεῖς ἥδη πρός σε βοῶ, τὸ μὲν πρῶτον ἐν γράμμασιν, ἔπει-
τα πρός παρόντα, νῦν δὲ ὡσπερ τὸ πρώτον. καὶ γάρ εἰ διέτηκεν ἡμῖν τῇ περ.
τὸ θεῖον δόξα, βλάπτοι μὲν ἀν αὐτὸν, εἴπερ εἴξηπτητα, παρὰ δὲ τῶν συνήθων
ἀν εἰκότως πολεμοῖτο. ἡγένετο δὲ γνωγει τοις τοις ἐγκειμένοις αὐτῷ μεων-
σθαι ἀν αὐτοῖς ἐβοήθησε πολλάκις, καὶ μᾶλλον αἰποδόνται χάριν, ἢ ζητεῖν κατο-
ρύξας ζῶντα τὸν εὐεργετην, οὐ τὴν συγγένειαν ἐλαύνοντες πάλαι, καὶ Μυσῶν
λεῖαι πετοιμένοι τάκεναν, τελευτῶντες ἡκατινοὶ ἐπὶ τὸ τέλειο σῶμα, ὡς τετύγη
χρισμένοι τοῖς θεοῖς, πλέοντος ἀπέχοντες τὸ ταῖς θεῖον τιμᾶσι παραφανένι. *)

*) f. leg.
παραμένειν.

*) vel ἕ-
πομένοι.

*) ed. Wolf.
δι.

αἰλλὰ τὰς μὲν πολλὰς ἀδελ θαυμαστὸν ἀνευ λογισμοῦ Φέρεσθα, καὶ ποιεῖν αὐτὸν τὸν καλῶν τὰ ἡδεά. σὲ δὲ τὸν ἀπὸ τῆς παιδεύοντος θείου πρός τὸν Φήφα κύ-
ενον ἤκονται κατέχειν τὸν τοιεύτας εἰκόνα, καὶ πάθειν, ἢ ἐργα καλύπτειν. εἰ μὲν
ἐν ἔργοι κρείματα τῶν ιερῶν Ὀρέων, καὶ δύνανται ἀν ἐπιτίσαι, παιέσθω, κεντείσθω,
τὸ τε Μάρξτον παρασχέτω. δίκαιος γάρ εἰ, παρὸν αἰποδόνται ἀποτλάχθα, χρη-
μάτων ἐστιν ἡττῶν, καὶ πάντ' ἀν ὑπομείνειν *) ὅπως ἔχῃ χρυσοῖν. εἰ δὲ εἴτε
Ἴρος, καὶ πεινῶν ἐποιήθη πολλάκις, ἐκ σίδα τὸ ἀν κερδαίνοντεν ἀπὸ τῆς αἰκίας,
διὸ ἡ εὐδαιμονήσει παρεῖ τοῖς ἡμῖν ἐναγίσιοι. εἰ δὲ δὴ καὶ αἰποθανεῖν αὐτῷ δε-
δεμένῳ συμβαίνει, σκύπτει ποιὸ τὸ πρᾶγματος ἵξει, καὶ ὅρα μὴ πολλὰς Μάρκες ἀπο-
Φῆνται. Μάρκος ἐκεῖνος κρείματος, καὶ μαστιγάμενος, καὶ τὸ πάγωνος αὐτῷ τιλλομένος, πάντα ἐνεγκών αὐδρείως, νῦν ίστοθεός ἐστι ταῖς τιμᾶσι, καὶ Φανῆ πε-
πεμψαχτος εὐθὺς. καὶ ταῦτα εἰδὼς Βασιλεὺς ἀλγεῖ μὲν ὑπὲρ τὴν νεώ, τὸν δὲ
ἄνδρα ἐπ ἀπέκτεινε. ιόμιστον δὲ ιόμον τὴν Μάρκες σωτηρίαν, καὶ τὸν Ὀρέωνα
εἰληφώσ, τὸ δὲ τοῦτο αἰνῆλωτος; μέταλλα χρυσός προσδοκήσειν τῷ δέξματι? μὴ,
πρὸς Διὸς, ἐταῖρος καὶ δικαῖα, μὴ τοι πάθης ἀβέλτερον. αἰλλὰ εἰ δὲ δικην
αὐτὸν ὑποσχεῖν, ὀτρωτος περινοσέτω, μηδεμίων ἔχων εἰς φιλοτιμίαν ἀφορμὴν
„Amicus olim mihi fuit Orion, quem adhuc secunda vteretur fortuna, nunc autem,
quamquam aduersa vititur, ego tamen nihil secius animo erga eum eodem sum, quo ante fui, pudet enim me desertorem amici iacentis videri, reum-

que

* * * *

que illius prouerbii fieri, quod calamitosos ab amicis abiici solere affirmat. Iam tertium hac de re tecum ago, Villi, clamore et contentione qua possum maxima: primum quidem egi per literas, *) tum expostulaui tecum coram; *) Sunt nunc tandem rursus eadem ratione aurem tibi vello, qua, quem primum hanc illae, quae tibi causam commendarem, vtebar. quanquam enim Orion in modo colendi n. 675. le-
summi numinis nobiscum dissentit, non nobis tamen, sed sibi officit, si quidem guntur in
errore ducitur, non tamen ideo dignus est, qui a vetustis familiaribus (nobis) ed. Wolf.
exagitetur. Qui nunc ei graues atque minaces instant, et respirare non fi-
nunt, putarem ego illos decere, beneficiorum meminisse, quae Orion olim in eos non pauca contulit, eorumque potius existimare gratiam sibi referen-
dam esse, quam Orionem viuum quasi tumulandum, a quo ipsi essent ornati. Sed satis illis non fuit, eius propinquos iam dudum vexasse atque circum-
egisse, eorumque facultates ita plane diripiuisse, ac si ea Mysorum esset praeda,
impune agenda ferenda, nullo vindice. iam tandem aggrediuntur ipsum quo-
que Orionem, et eius corpori cruciatu intentant, existimantes, ea re diis gra-
tam rem se facturos; vehementer illi quidem falsi, multumque a recta ratione
tuendi honoris deorum disfici. Plebeculam quidem sic temere ruere, et iu-
cunda honestis praeferre, nil mirum est; te autem, Villi, qui ex illa cathedra,
vnde iuvenes bonis litteris imbuuntur, ad illa subsellia ascenderis, vnde ius a
praetore dicitur, continere decet furiosos illos et reuocare verbis blandis, aut,
si parere nolint, poenis coercere. quod si ergo conuictus est Orion sacrilegii,
habetque penes se deorum spolia, et reddere potest, verbera, ferrum admove,
punge, vre, Marfyae supplicium ab eo sume. nil intercedo. Haec enim pati-
eum decet, qui, quem restituendis ablatis effugere tormenta possit, opum ta-
men cupidini ita sit obnoxius, vt, nihil recuferet indignitatum acerbitudinique,
quo aurum teneat improbe quaesitum. Quod si autem Orion Irus est, *) et *) seu pau-
saeppe solet ore ieiuno et vacuo ventriculo cubitum ire, non video, quid simus per et
tormenta profecti, quorum perpeccio magnam ei gloriam apud aduersarios mendicus.
nostros pariet, quid? si ei contingat in vinculis expirare. vide, quo sit res
excessura; vide, ne feueritate tua Marcos nobis multos contrahas. Nostri Mar-
cum illum, qui quod ex reticulo er pertica peperdit, et fustes corpore tole-
rauit, et euulsam sibi barbam vidit, easque omnes contumelias fortiter tulit,
in eam venit apud suos venerationem, vt iisdem poene honoribus eum pro-
sequantur, quibus nos deos. Sicubi in conspectum veniat, statim ad eum con-
cursatur, pugnaturque, quis proprius accedere debeat, quis assidere, quis ser-
mones conferre, quis cum parti sua accensere. Quam studii erga hominem infi-
niam quem bene norit Imperator (Julianus) tollere tamen eum noluit, quam-
vis templi iniuriae, quod ille euerit, grauiter indeoleat. Quare concessum
Marco spiritum puta, Villi, legem tibi scriptam atque propositam esse, vnde
diseas, quid in Orionis simili caussa tibi sit sequendum. Misum fac Orionem
sahnum et sospitem, quo admirationi suis nulli sit. Negat enim sacrilegum se
esse. Sed fac tandem esse, quid tum? si furta illa omnia abligurriuit, si nihil eorum
super-

❖ ❖ ❖ ❖


superest: putas in eius pelle tibi aurifodinam esse? Noli amice, noli praetor, ita de Iupiter aequus amet, noli in te dedecus admittere. Sed si debet Orion poenas omnino dare, sine eum, integra cute, ostiatim vagari, et panem commendicare, abiectum et nullo in honore habitum, omniq[ue] priuatum gloriationis argumento. „


Quid significet Libanius eo loco, quo dicit Marcum περιάλλον, item περιάλλητον, paucis est expediendum, Marcum igitur confossum stylis puerorum ludum frequentantium, et garo perfusum, et melle inunctum, ἐν γυργάδι seu reticulo, vel sacco ad retis modum plexo, cuiusmodi illi sunt, quibus panes, poma, olera, carnes et foro et marcello deferri solent, suspenderunt ex alta perica, muscisque et apibus pabulum permisérunt, quod autem vocabulum περιάλλητον ad extrellum interpretari etiam sim, *qui parti suae accensere*, pertinet illuc. Haeretici cum orthodoxis certabant, utrius partis esset Marcus. *vtraque pars eum ad se trahebat.* quod pulchra obseruauit la Crois apud Wolscum ad h. I.

Dictionis elegantia et sententiarum acumen, et ingenii omnino diuinitate, quin multum cedant posteriores gracie auctores prioribus, negari nequit. Ideo tamen plane contemni prae his illi; non debent. Maieftas enim imperii Romani, in qua extollenda versantur, graecae vetustae vanitas nugas obruit atque obscurat. Me quidem iuuat Libanium videre cum tot praefecti praetorio, tot comitibus orientis, tot proconsulibus, tot praesidibus agentem. Magno quidem studio docti homines huius atque superioris saeculi pertrauant et peruerſigant vetustam omnem historiam, cum sacram, tum ciuilem atque literariam. Sed facile Tu mihi credis affirmanti, ERNESTI DOCTISSIME, capacem illam adhuc esse accessionum. Ne longe abeam, quot habent, quam multiplices vsus Libanii epistola ad constituenta rerum saeculo Constantino et Theodosiano gestarum tempora, ad primariorum in rep. virorum magistratus indagandos, ad doctorum hominum fortunas cognoscendas, quorum quum scimus aliorum nomina, tum aetatem et lares, et vitae genus ignoramus; aliorum vni Libanio debemus notitiam. Mirarisne nodum a me proponi viris doctis in historia ecclesiastica diligenter versatis, expediendum, qui me quidem saepe cogitantem fatigavit. Saepe inspexi epistolam, quae in Wolfii editione p. 624. n. 1344. legitur, sed qua de se eti ibi agatur, Christiana ne, id quod videtur, an alia, nondum potui reperiire, aut mecum constituere. Valesius quidem non satisfacit, qui, potio rem illius epistolaes partem ad Socratis H. E. I. 22. attulit. Ignoratum illud hominum genus Libanii ita describit. οι τὸν ἡλιον ὅπου θεραπεύοντες ἄνευ αἰγάλως, καὶ τυπωντες Ἱερὸν προστυγορίᾳ δευτέρῃ, καὶ τὴν γαστέρα πολάζοντες, καὶ ἐν κέρδῳ ποιώμενοι τὴν τῆς τελευτῆς ἡμέραν, πολλαχός μὲν ἐπὶ γῆς, πολλαχός δὲ ἐλπίοι, καὶ δύναις μὲν ὑπέρ, λατόνται δὲ ὑπὲρ ἔνων. Βρόλιμον δὲ τὸν Πλακατύν τέλον διατριβούντας τὴν σὺν ἀρέτῃ ἔχαντα πατρῷν, καὶ ἄνω φρίσον ὕδωραν, καὶ μὲν ἔνων τοῖς βιαλούνεσσι διεισέβρισσεν. Qui sunt hi, qui dicuntur solem venerari absque cruore, diem honorare secunda appellatione, ventrem ieiuniis castigare, diem supremum pro fine bonorum habere, per totum terrarum orbem sparsi esse, vbique locorum pauci numero, neminem laedere, violari a nonnullis. Valesius non dubitat his verbis Manichaeos designari; aliis ea negat conuenire. Sed possunt non pauca in contrarium afferri. Fueruntne Manichaei vbique terrarum disseminati? qui in eos conuenit, deum secunda compellatione honorare? et quid tandem hoc est deum secunda compellatione honorare? Cogitau aliquando de hypsistarii, cuius generis fuerunt parentes Gregorii Nazianzeni. Sed huic quoque sententiae pari modo potest occurri. Quare locum hunc in dubio relinquam, felicioribus ingeniosis explicandum.

Haec erant quea mihi ad Te scribenti, ERNESTI, VIR CELEBERRIME, memoria suggerebat e Libanii epistolis ad res Christianorum pertinentia. quarum epistolarum si ad finem legendi et interpretando iam peruenissim, quem in locum coniecit Wolfius eas, quas Libanii ad Baſiliū M. dedit et ab hoc accepit, non dubito, quin materiam habiturus fuissim copiosorem. Sufficiat tamen breue hoc specimen. Consilio quidem atque instituto meo fatisfactum est. Tu autem bene vale, et, quod facis, academiam hanc saeculumque hoc ingenio orna; et de meis studiis bene existimare perge. Scripti Lipsiae d. 10. Martii C I C I O C C L I X.

❖ ❖ ❖





E6 3449

VD 18


ULB Halle
002 406 454

3



5b.





14

LIBELLVS,
QVO
NOVOS HONORES THEOLOGICAE PROFESSIONIS
VIR O
S V M M E V E N E R A N D O
ATQVE EXCELLENTISSIMO
IO. AVGVSTO ERNESTIO
GRATVLATVR
EAMQVE PER OCCASIONEM
DE QVIBVS DAM
E LIBANIO REPETITIS ARGUMENTIS
AD
HISTORIAM ECCLESIASTICAM CHRISTIANAM
PERTINENTIBVS
IN PRIMIS
DE
OPTIMO EPISCOPO
DISSERIT
IO. IACOBVS REISKE.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

